

2

BONA VERBA

Lectissimo amabilissimoq; PARI,

SPONSO,

Literis, & longa peregrinationis usu prestantissimo,

Politissimoq; JUVENI,

Domino

PETRO WERDERMANNO,

f. U. Cand.

VIRI Reverendi Clarissimiq; DN. P

PETRI WERDERMANNI,

Pastoris in *Niederaw* longè meritissimi, Dicesios

Misa: cis Albim SENIORIS,

FILIO,

SPONSÆ

*Virgini pudicissimæ, omniumq; virginalium Vir,
tutum decore laudatissime*

ANNÆ MAGDALENÆ,

VIRI honoratissimi spectatissimiq;

DNI. CHRISTIANI SEIDELII,

Sereniss. Elector. Saxon. in Præfectura

Haynensi à Rationibus,

FILIÆ,

ipso Nuptiis constituto die, puta prid. 1d. Jan.

bono nomine, & omine

DICTA & DICATA

à

BONIS

ANNO 00 10C XLVI.

DRESDÆ, Typi Heredum GIMELIS *Bergen / Elector, Saxon. Calsogr.*



018368

896800



TOT mores hominum vidisse, tot Orbis & Urbes,
Tot casus quid te, SPONSE, notasse iuvat?
Si natale solum caput illud amabile spondet,
Quod placet, atq; oculos explet amore tuos:
Fallor? an hanc cœlum sortem tibi legerit, æquus
Et tibi liberiùs riserit ipse DEUS?

Immo favent cœli, cœlisq; faventibus Euge,
Euge bonum acclamant linguæ animiq; hominum:
Quos inter vel primus ego FELICITER illud
Accino, & huic lecto doq; dicoq; Pari!
Nomen, SPONSE, refers Patris, Patris æmulus esto:
Sic homini atq; DEO VIR PRETIOSUS eris.

Amicitia ac favoris ergo
facieb. Misenz

HIERONYMUS NYMMANUS, D.
Pastor & Superint. nec non Basili-
cæ Cathedralis ibid. Concionator.

VIta quid est hominum; via sic, Tu, plurima, Sponse,
Regna peragrasti, nunc statione opus est;
Quam Tibi sanctus Amor jam donat, perstet ut illa
Inconcussa diu, lingua animoq; precor.

Gottfried Meißner / D.
Pastor & Super.

Ἐστὶ γὰρ
agricolos tetra-
strophos.

TItanis extra quis licet orbitam
Raptetur, hærens obvia sensibus
Circa, peregrinantis ægre
Eximij titulum meretur.
Num visa, (dicas) sicut & auribus
Illapsa blandè, num sapor ac odos
Tactusq; titillans parumper
Te faciant ad eò beatum ?
Erras. Frequenter namq; animalia
Nos hisce vincunt, atq; doloribus
Objecta non parvis fatigant,
Et cadit in nihilum voluptas:
Et sicut acer fortè rabellio
Cursu, quòd oras viderit exteras
Non dignitatum est præses unquam ?
Sic etiam arte carens planeta.
Nam nescit omnis finibus actio
Certis quod exit, corporis hinc agor
Est curæ eidem, sed relinquit
Mentis agrum sterilem capacis :
Ast qui Sophorum dogmata combibit
Ausu fideli, biblia post sacra
Utrumq; vel jus, seu medendi
Egremium fuerit studium profectus-
Hunc laude dignum censeo maximâ
Nec non tiaræ purpureæ decus,
Seu rura formarint paterna,
Seu peregrina animum politum.
Is namq; IOVÆ servus & utilis
Potest vocari civibus, & sibi

Parare

Parare victum, fors ministret
 Cuncta licet manibus retractis:
 Quod ergo mentem moribus, artibus
 Jurisq; cultu reddideris catam
 Nec non remotiora regna
 Attigeris, merito probatur
 A quoq; magni pectoris: est quia
 Non singulorum tanta pericula
 Et tot labores ferre terrâ
 Atq; mari, facie serena.
 Hinc SPONSE PRÆSTANS, ars tua nobilis
 Nisusq; pulchri præmia pendere
 SEIDELIUM jussere. dotem
 FILIOLAMq; pudoris almi.
 Solamen ut tî præbeat omnibus
 In rebus, & post tædia tot mala
 Monstret viarum fors levamen
 Exhilarans geminos amantes.
 Hac, macte dulci vir, reqvic. DEUS
 Vos MENTE SANA, CORPORE FERTILI
 ET SORTE LAUTIORE donet
 PACEq; PERPETUA coronet.

Quam
 ευνοίας κρη συγχάρι-
 ματος ἕνεκα

GEORGIUS EMMENIUS
 Alsdorffiensis Saxo Philos.
 Lipsiæ, & Medic.
 Patavij in Italia legitimè pro-
 motus Doctor.

ΑΠΟ,

ΑΠΟΣΤΡΟΦΗ ΕΥΚΤΙΚΗ

πρὸς τὸν πατέρα τῶ κυρίου ἡμῶν ἰησοῦ κριτοῦ,
ἐξ τῶ πάσα πατριά ἐν ἑρανόισι, ἡρεῖ ἐπὶ
γῆσ ὀνομάζεται.

HACTENUS audisti, PATER Optime, vota precesq̄,
Quas pro Natorum fundo salute PATER.
Nam mihi Tu Natos quatuor, PATER almae, dedisti,
Quos non detinuit pigra Vacuna domi;
Sed peregrinari mundi per climata iussit
Strennuā, perq̄ salum currere, perq̄ solum.
Absentēs procul atq̄, diu velut hosce paternis
Commisisti votis, ABBA supreme, Tibi:
Sic & adhuc per vota tuo commendo favori,
Tu rege, Tu serua, Tuq̄ tuere, bea!
Si placet, oro, PATER reduces feliciter omnes
Et PATER & MATER fac videamus eos!
Et quia jam PETRO, natu numeròq̄ secundo
In thalamum VIRGO SEIDELIANA datur:
Tu largire, precor faustum pariterq̄ beatum,
Floridulum, dulcem, proliferumq̄ torum!
Hactenus audisti qui vota precesq̄ paternas,
Hac PATER exaudi jam quoq̄ vota PATRIS

PETRI WERDERMANI, Past. Nide-
ravienſis, & Ephorias Misnenſis
cis Albim Senioris.

VITA,

VITA, SALVS, SOBOLES SPONSO TIBI *sunt novo in ANNO,*
Quàm Xenia hæc bona sunt VITA, SALVS SOBOLES!
Dante DEO veniat Xeniorum hæc Triga! quod ultra*
Et vis, Werdermann! dante DEO veniat!

*Plus ultra! sagte/ kurtz vnd gut/
Keyser Carl.

Domino Sponso

*Bigam hæc Distichorum epanalepticorum,
candide Adfinitatis ergo, ipsis Januarij
Calendis, Anni 1646, trans mittebat*

M. GEORGIUS PRELHUFIVS,
Pastor Lampertswaldæ,
Diœc. Haynensis.

NUpserunt patres nostri, nubamus et ipsi
In thalamo pacem, qui benè nubit, habet.
Non est in Sponso semper, ducatur ut Uxor
Optima, nam Fatum plus valet arte proci,
Quod si conspirent Votum Fatumq; Supernum,
In thalamo irarum Pax erit absq; face.
Litterulâ triplici PAX scribitur atq; vocatur,
Namq; quasi Triados Nomen & Omen habet.
Ergo Sacra Trias precioso Nomine Sponsum
Cum Sociâ Sponsâ copulet atq; beet!
Cedat Eris, succedat Eros, Pax Trina triumphet,
Et vigeat jugi conjugium absq; jugo!
Donec in Angelicâ formâ atq; habitudine Cælebs
Sanctorum surgat conveniatq; Chorus!

SAMUEL RICHTER, Hayn
Syndiaconus Senior.

Per

Per varios casus, per tot discrimina dura
Iactatus patriam sic petis ipse tuam,
Werdermanne, bonis pollens virtutibus, atque
Moribus omnigenis, & pietate gravi.
Quem jubet & noster proprio succedere recto
Seidelius, Natam nunc locat ipse suam.
Quæ pia, præ reliquis veræ virtutis amatrix,
Et fidei cultrix creditur esse bonæ:
Divitiis superat reliquas hæc Nympha puellas,
Ingenuæ vitæ dotibus aucta micat.
Propterea nunc Sponse, tuo sub pectore gaude,
Deq; Novâ Nupta gaudia mille cape.
Gaude itidem tacito sub pectore Sponsâ Novella,
Ornatum famâ laudis adepta Virum,
Quem toties multæ precibus votisq; puellæ
Orârunt vanis, tu capis una toro.
Vivite concordés, date mutua basia labris,
Sit sine labe torus, non sine prole domus;
Vivite felices, longævi, crescite, lapsò
Anno quò ludat Parvulus ante pedes.

*Ita moris & amoris
ergò vovebat*

M. JOHANNES Weber/ Eccl.
Haynens, Diac. Med.

ANA

ANACREON EYKTIKOS.

VNo precamur ore,
Natis recens puellis,
Mystis recens vocatis

Doctoribus creatis,
Ab exteris reversis
Victoribusq; factis
Uno precamur ore,
Deo placente cœtu
Bonum precamur omne.

Sic res redintegratas,
Annum redintegratum,
Pacem regerminantem,
Ab hoste liberatum,
Regnum vicesq; rerum
Quarumlibet secundas
Mactamus ore lato,
Autoribus honorum
Salute nuncupata.

Quis ergo, quis maligno
Dente allatret Maritos,
Carpat novas Maritas,
Et nuptias honestas,
Quas copulavit alma
Benignitas Pronœæ;
Sint dira, sintq; dura,

Sint mira, sintq; prava,
Toro, Foroq; inepta
Extrema nostra secla
Multo furore Martis,
Direptione ditis,
Confusione rerum,
Artisq; vilitate:

Deo tamen benigno,
Mitescet asperatum
Seclum viro perito,
Rerum tamen perito
Morumq; Nationum
Forum patefcet arctum:
Fotus honore digno,
Tori favore dignum
Bonus socer favorebit,
Bona confovebit Uxor,
Bonum affluet Jehova.

Inauguramus ergo
Honoris apparatus,
Voti pij auspiciu
Connubiale pactum,
Deo annuente factum
In illibato amore,
Arctissimoq; nexu

*Ex intima medulla,
Nuptis piis precantes
Quod possidet Bonorum
Felicитatis arca.*

*DEus jugalis Autor,
Tori jugalis Autor
Par det, jugumq. suave,
Domum struens quietam,
Mensam parans opimam.
Fœcundet atq; lectum,
Promatq; faustitatum
Pancarpias coronas.*

*Autor DEus Bonorum
Diribitor novorum*

*Vos collocet videre,
Solyma beatitates
Ut osculentur alma
Pax se invicem Fidesq;
Benedictionis ore,
Tandem DEus propellat
Noxas atrociores,
Crudeliora fata
Hostisq; dira tela
Ab adium latebris.
Ut fiat id faventes
Votis precantur omnes
Boni precantur omnes
Mecum hospites precantur.*

Fuisti omnis & gratulationis
ergo introductus à

M. VALENTINO RITTERO,
Eccl. Diacono.

Epigrammatum Ternio

Ad

Præstantis. Humanissimumq;

DN. PETRUM WERDERMANUM, J. U. C.

Affinem exoptatis.

I.

AD tua, PETRE, vocas me festa jugalia. PETRE,
Ad tua non venio festa: moratur Hiems.

Pieris

Pieris expediet, quod hiems morosa moratur:
Non sit hiems igni, bruma nec ulla, tuo!

II.

PETRUS WERDERMANUS, J. U. C.

ΠΙ ἀνάγρ.

Unis: perverum! DEUS currat.

UNis eximiam Tibi WERDERMANE, Puellam,
Ut tecum in geminâ carne sit una caro.
Auspice quò? non certè hominum mortalibus ausis
Auspice panguntur fœdera tanta Deo.
Tu quoquè cura DEO. Verùm ut modò cura fuisti,
Sic Te perpetuùm curet ametque DEUS.

III.

ANNA MAGDALENA SEIDELIA-

Næ Delia alma; sanè digna!

DUcis SEIDELIAM, Quâ quùm de Virgine Phœbum
Consulerem (neque enim visa Puella mihi)
Per bifidos, inquit, Pindi, quos accolo, colles,
Alma vel ipsa mihi Delia SEIDELIA est.
Digna venit sanè, sed non nisi WERDERMANO:
Non nisi SEIDELIA dignus ut ille suâ.

Ita gratulab.

PIRNÆ

M. TOBIAS Petermann /

Ibid. Scholæ Rector.

Certârant qvondam Fortuna, Venusq; Cleandri
 Ultra suoposset subdere colla jugo.
Oderat hunc Fortuna, Venus deamârat; utroq;
 Sustinuit juvenis non mala pauca modo.
Spirabant tamen intrepidum præcordia Martem,
 Et Phœbus Clario tinxerat ora lacu.
Dignus, quem Mavors Cypriæ solvisset ab astu,
 Sortis & adversæ Phœbus Apollo dolis.
Tantum, quod fugit Venerem & Rhamnufida risit,
 Hinc odium atq; illinc fervidus arsit amor.
Corripit idcirco primùm Fortuna Cleandrum
 Speq; replet varii cor juvenile boni.
Præterea patriis promptun satis evocat oris,
 Præferat utq; suis extera regna, jubet.
Ille subit rerum cupidus sine fine novarum,
 Et longinqva situ gaudet adire loca.
Et jam, Teutonicum vasto quò volvitur ore
 Albis in Oceanum Salaq; mixta, venit.
Jam venit, undenis ubi fontibus exilit idem
 Ac natale solum Saxonis inde secat.
Nec satis est, finem patriæ spectâsse caputq;
 Qvas adiit, gentes dicere, longa mora est.
Æqvora nam mensus sub utrâq; jacentia Phoebe
 Pergit & in Geticos Sarmaticosq; sinûs.
Pannonis hîc potuit duros cognoscere mores,
 Semper & indomiti bella cruenta Getæ.
Nec minûs hîc potuit, quos Servia, Bulgaris & quos,
 Dacia quosq; parit tota, videre viros.
Ister in Euxinum quot barbarus ostia pontum
 Mittat ad Eoas, explicet ipse, plagas.
Cernit enim transitq;, sui cûm jussa facessens
 Principis, Epiri scandit obitq; juga,

Et Byzantinæ vectus per moenia sedis
 Thysagetum summo nunciat ista Ducis.
 Non hunc bellipotens Batavus, Senonesq; feroces,
 Isti hunc Vangiones non latuere truces.
 Non Chersonesus nescit vocitare Cleandrum,
 Cimbrica sive fiet, Taurica sive fiet!
 Innumeros populos, claras conspexit & urbes:
 At memor horrescit, Taurica terra, tui.
 Fallor an hic alter Pylades atq; alter Orestes
 Adductus templo est, sava Diana, tuo.
 Tunc etenim docuit miserum Fortuna Cleandrum,
 Mæotis gignat quàm fera corda palus;
 Qualem Massagetes soleat conscendere currum;
 Quosve Borysthenides jungat iturus equos
 Quàm lac concretum cum sanguine possit equino
 Miscere, & stimulos sic pepulisse famis;
 Quis etiam scuticis jumenta ignara lacestat,
 Ut studeant segnes accelerare gradus.
 Ipsemet horresco, rectis dum singula verbis
 Attingens tacito supprimo multa pede.
 Multa quidem vidit, tulit & majora relatu
 Multa, sed hæc elego dissimulabo levi.
 Quid fortuna tonans, quid item fortuna serenans
 Præstet, id exemplo novit utrumq; suo,
 Nam licet haud rarò votis responderit æqua,
 Sæpius ora tamen sumsit iniqua sibi.
 Quicquid at illud erat, manet imperterritus ille,
 Et magis atq; magis cernere plura cupit.
 Fortè duodecies Titan repetiverat orbem,
 Ad patrios postquam verterat iste focos.
 Detinet incautum Venus hic formosa Cleandrum
 Et menti motus indit amica novos.

Annè ego dicta Venus Fortunæ ingloria cedem?

Annè meus frustrà tela Cupido geret?

Annè mihi desint in mollia pectora vires,

Et rapiat quemquam Sors inimica mihi?

Hæc ait: & juveni summâ pietate puellam

Objicit: adspectus fulminis instar erat.

Tum demùm vidi variè dubitate Cleandrum,

Jamq; fateri ignes, jamq; negare suos,

Permeat ossa calor, penitas est flamma medullas,

Illius usq; petit visa puella torum.

Hic est, quo lecto Virgo atq; Cleander in uno

Convenit & patriæ redditur ille, dies.

Fecisti rectè, tua sit victoria, Cypri,

Quippe tuus, quæ sunt sub Jove, vincit Amor.

Nec te pœniteat cessisse, Cleander, Amori:

Laus est majori succubuisse Deo.

Noster es ex isthoc nobis jam tempore solis,

Nec te semotum gens aliena tenet,

I nunc ulteriùs, Veneris neq; dulce subito,

Quæ tua sic potuit subdere colla, jugum.

Dulce jugum est Veneris, modò sed patientibus; hoc fer:

Sic PATRIÆ atq; DEO ritè Cleander eris.

Deproperabat MISENÆ

M. DANIEL PETERMANUS,

P. L. & Scholæ ibidem

Senatoriæ Rector.

Multa peragrâsti longè loca disita, mores
Disimiles hominum visere percupiens.
Ista peragrando varijs pulcrisq; puellas
Formis vidisti & vultibus egregijs.

Nulla

Nulla sed illarum (præstanti corpore quamvis)
Usquam complacuit, SPONSE, tuis oculis.
Sed Patriam remeans Haynensia dum petis arva,
Præsto est en oculis grata Puella tuis.
Digna Puella Viro : Tantum decus enitet ore,
Moribus & formæ gratia tanta subest.
Per multos reperis, curâ sine fine vigente
Qui nunquam, aut tardè, quod petiêre, ferunt,
Hinc prius Alcides Acheloia cornua fregit,
Quàm meruit thalamos, Dëianira, tuos.
Hinc tulit Hippomenes Atalantam præmia cursus,
Cujus erat multis antè cruentus amor.
Sed Tu SEIDEN hanc facili conamine adeptus
Natam, quò faciat Te, PETRE, prole Patrem.
Nempe Deus, facilis quibus est, his vota secunda
Mollibus in somnis, absq; labore, facit.
At Te felicem, cum tali, SPONSA, Marito,
Cui fas est socij jura tenere thori,
Sacri non illo est defensor sanctior æqui,
Quiq; suæ semper Jura clientis aget.
Ergò, novi vitæ locij, cognoscite grati,
Conjugio faciles vos sociâsse Deum.
Hac ratione thorus felix sanctusq; manebit,
Et fetet in seros pignora grata dies:

M. JONAS Blochwitz /
Scholæ Haynensis
Rector.

Jam

JAm gaudet solidè puer, suisq̃
Strenas complicibus datas laborat
Non sanè vice simplici referre,
Hic jactanticulus lepore miro
Laudat crustula, Martiumq̃ panem,
Prædulces filiq̃vas, placentulasq̃,
Nec non pemmata dulciariorum,
Et quæcunq̃ parat gulosus Orbis
Scitamenta gulæ venustiori:
Illic ligna colit stupore ficto,
Immò basiolis fatigat arctis,
Et mutas statuas facit loquentes
Ipse nugo, choragus ipse format
Saltantes, subitoq̃ tractat illa
Pictis pægnia ficta serperastris
Ipse auriga, gradariusq̃ mannus.
Sed nuces pueris suas relinquo.

Quæ cessit tibi, FRATER. hanc utroq̃
Strenam pollice laudo, dulciorem
Omni lacte, meroq̃ melle, & ipso
Divum nectare, luculentiorum
Gemmis lucidulis, arenulisq̃
Pactoli auriferi, Tagiq̃ fulvi

Ramentis nitidis nitentio rem:
Verbo, lumine utroq; cario rem.

Quam strenam titulis tot invidendis,
Nec falsis tamen, aut minus superbis
Designem, tibi jam domi patefcit:
SPONSA est, SPONSA TUA, ANNA MAG-

DALENA,

Illud melliculum tuum, caputq;
Ter quater, deciesq;, milliesq;
Mellitit tibi svaviis petendum,
Internas Veneres caput colendum,
Quos cultura, politicsq; morum
Castigata capit probatorum.

Quæ jam lautia lautiora, strenas
Quas donare voluptuosiores
Dilecto capiti valeret ullus
Terrarum Dominus licet supremus, et
Quam si Sponsus amiculæ medullas
Omnes datq;, dicatq; dedicatq;,
Et lubens meritoq; se vicissim
Totam dedit amiculo, sacratq;.

Tu FRATER dato te Tuæ frequenter,
Sic tibi tua strenulas quotannis,

C

Pupas

Pupas lacteolas, venuſtulas
Reddet, vividulas tori jugalis
Frondeſ, candidulos Avis nepoteſ.
Cumꝑ anni auſpiciis, fac auſpicato
Nunc tutere boni vices mariti :
Bruma eſt, frigore lectulum recentem
Stringi non patiare? ſed quod audis.
DIGNUM virgine te VIRUM probabis.
EUGE, CRESCERE, VIRESCE, care FRATER.

M. ABRAHAM Werdermañ.

Nichts ohne Liebe iſt: Es Liebt die kleine Erden
Der weite Himmel hoch/ vnd Lehrt ſie Mutter werden/
Zu allen was da nehr/ vnd giebt ihr volle Frucht :
Die Sonne läufft davon / der Monden ſie ſtracks
ſucht:

Der Tag fragt nach der Nacht: Die Nacht den Tag will
haben:

Liegt nicht das Freye-Volk der Lüſte / gantz begraben
In Liebe / wann nun hin der Winter? D/ wie ruſſe/
Dieß vnd dieß jenes zu / von Baum / vnd aus der
Kluſte /

Was macht der ſtumme Fiſch in Waſſern? wer wil ſchrei-
ben

Waß Lieb? in Wäldern ſchafft? Laß nur den Schaffer
treiben/ Vnd

Vnd fragt ihn/ wie das Schaaß am Satter Weide
sieht?

Den schwarzen Hiertten auch/ wies bey der Heerde
geht?

Der Mensch/ der Klugen Geist/ Vernunft vnd tieffe
Gaben/

Vor diesen allen hat/ der kan sich erst recht laben:

Er weiß was Liebe ist/ vnd derer Wirkung fühlt/
Singt/ Springt/ Seuffzt/ Scherzt/ Lacht/ Weint/
vnd mit Gedancken spielt.

So nun nichts ohne Lieb? Herr Verdermann/
ihn schelten

Wer will/ das Er auch liebt/ der muß sehr wenig gelten/
Vnd grün an Sinnen seyn/ zumahl da sich gleich
findt/

Die schöne gegen-Lieb in Liechter loh' erkündt:

Gott der die Liebe selbst/ Euch Liebste reichlich Segne/
Vnd Liebe Väterlich/ das Reine Leid euch begegnet:

Er schütte trauern weg/ vnd schenck euch Freyden
Wein/

Vnd laß euch lange hier/ in besten blühen seyn.

In Eyl macht

D. G. C.

R N S R.

The first part of the book is devoted to a
general history of the world, and is
divided into three parts, the first of which
contains the history of the world from the
beginning to the present time, the second
part contains the history of the world from
the present time to the end of the world,
and the third part contains the history of
the world from the end of the world to the
beginning of the world.

1792

1792